

annullaciones, revocaciones, cassaciones, irritaciones, remisiones, aboliciones, pronunciaciones, declaraciones, acceptaciones, laudaciones, obligaciones, astricciones, cautelas, cauciones, decreta, promulgaciones, liberaciones, absoluciones, commutationes, donaciones, suppleciones, addiciones, mutationes, correcciones, emendaciones, adiuncciones, compleciones, ratificaciones, pacta, firmitates et roboraciones omnes et singulas omnia et singula, que dicti procuratores nostri vel eorum aliquis nomine et vice nostra fecerint aut nos facturos promiserint, postquam per sanctitatem vestram assumpti fuerimus in regem Romanorum, faciemus in persona propria coram sanctitate vestra vel alias, ubi et quando sanctitati vestre videbitur expedire, et de novo munimus, firmabimus et approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus et roborabimus nostris iuramentis et instrumentis publicis manu publicorum tabellionum confectis necnon nostris litteris et sigillis et omni alia firmitate et firmitatibus ac modis aliis, quibus melius valere poterunt et sanctitati vestre videbitur expedire. Et ad maiorem omnium et singulorum roboris firmitatem iuramus super sancta Dei ewangelia per nos corporaliter manu tacta omnia et singula, que per predictos nostros procuratores omnes, aliquos vel aliquem ipsorum facta, gesta, promissa, ordinata vel obligata fuerint, tenere et adimplere cum omni efficacia et effectu ac ea omnia et singula inviolabiliter observare et in contrarium per nos vel alium directe vel indirecte nunquam venire.

In^a quorum omnium testimonium et roboris firmitatem presentes litteras per discretos viros Fridericum de Ratispona rectorem ecclesie in Wolfratshusen et Wernherum dictum Bellenberger dyocesis Augustensis publicos notarios infrascriptos publicari mandavimus et sigilli nostri, quo hactenus usi sumus, fecimus appensione muniri.

Dat. et actum Vlme, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, quinto die intrante Marcio. Presentibus nobilibus et spectabilibus viris Ludowico duce de Tegch, Berchtoldo comite de Graispach et Marsteten dicto de Nyffen, Friderico comite de Ötingen ac religioso viro fratre Wolf-ramo de Nellenburch magistro ordinis fratrum Theutonicorum sancte Marie per Alamanniam necnon honorabilibus viris magistro Ottone de Rayn canonico ecclesie Eystetensis et magistro Iohanne dicto Riedter canonico ecclesie Ratisponensis ad hoc vocatis specialiter et rogatis.